Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31636
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Erat autem istis omnibus exitii causa Iohannes, quem ex giscalis effugisse prediximus. Is enim dolis plenus et acerbissima dominationis cupiditate intra se circumferens, iam dudum rebus communibus movebat insidias. Itaque cum eadem quae populus sentire se simulans, aderat Anano, tam diebus cum proceribus capientem consilium, quam noctibus peragentem custodias, omniaque secreta zelotis renuntiabat. nulliusque populi consilium non prius quam caperetur inimici sciebant eius indicio. Inmoderatis vero et Ananum et populi principes placabat obsequiis, ne in aliquam suspicionem veniret affectans. Sed haec ei honorificentia in contrarium vertebatur. Erat enim ex adulationum varietate suspectior: eoque ipso quod et non accitus assiduus erat, archanorum proditor habebatur. Etenim perspiciebat Ananus omnes quae ad se concurreret intellegere quod Iohannes faceret. suspitione nunti-ationis habebat. Submovere autem illum non erat facile. ~~neque facile~~ neque possibile quod malicia praevaleret. ac praeterea hoc multorum non ignobilium qui summis rebus adhibebantur patrocinio succinctus erat. Visum est igitur ab eo sacramentum benivolentiae causa peti. nihilque dubitans et fidem se populo servaturum iuravit. et neque facturum eius inimicis ullum, neque consilium proditurum, unaque deponendis rebellibus et manu et voluntate operam collaturum. Itaque Ananus eiusque socii quoniam iurato crediderunt, nulla iam suspicione suis eum consiliis adhibebant. Mox quoque ab his de iure et concordiae causa legatus intromittitur ad zelotas. Curae namque habebant ne fanum culpa sua pollueretur neve quisquam in eo procumberet Iudeorum. Iste autem quasi zelotis ac non contra pro benivolentia iuravisset, egressus ad eos medius constitit. et saepe quidem se illorum causa in magno periculo fuisse dixit. ne quid secretorum ignoraret quae in eos Ananus cum sociis cogitasset. nunc autem ingens se cum ipsis omnibus subiturum esse discrimen nisi divinum quoddam praesto fuerit adiumentum. nihil enim iam morari Ananum sed persuasisse quidem populo ad Vespasianum legatos mittere, ut ad capienda civitatem quam primum venire properaret. indixisse autem lustrationem postero die, ut religione simulata intromissi vel et ipsorum manus consereret. se autem non videre quam diu aut custodias sustineant aut cum tanta manu aciem congrediantur. Ad haec addebat quod ipse dei providentia transactionis esset causa legatus. hac enim spe Ananum his proponere quod nihil suspicantes eos subito aggrederetur. itaque oportere, si qua sit habenda ratione vitae, educerentur, aut custodibus supplicare aut foris quod praesidium petere. quos autem si victi essent spes foveret, inmemores esse audaciae sive credere aut simul ac factorum penituerit admissurum in gratiam statim eos

qui perpessi sunt reddituros. sed nocentium quidem saepe iussa et paenitudinem fieri. laesis autem ira inulcentiam saeviorem inminere. autem illis atque interfectorum amicos atque cognatos. tantumque populum perdissolutis legibus ac iudiciis indignatione flagrantem, ubi etiam si qua misericordiae pars fuerit, maior eam irascentium turba celavit. Talia quidem variabat Iohannes, terrore iniciens multitudini. externum vero auxilium aperte quidem iudicare, quod dicere non audebat. Idumeos autem significabat. utque principes zelotarum privatim etiam commoveret, crudelitati Anani arguebat. ipsisque eum maxime minitari confirmans. Erat autem Eleazarus Gionis filius qui praeter alios idoneus esse videbatur et recte consulere et quae consuluisset efficere. itemque Zacharias filius Amphicali, utique a sacerdotibus genus ducens. Hi praeter communes et privatim interminationibus cogniti, quodque Ananus factione potentiae sibi comparandae causa Romanos accersiret. nam et hoc Iohannes affinxerat. diuque quid ageret dubitabant, angusti temporis festinatione conclusi. populum enim aut multo post eos aggredi paratum esse cogitabant, externi vero subsidii facultatem insidiarum sibi celeritate praerepta propter fore ut omnia paterentur, quam ut auxiliatorum quisquam ista cognosceret. advocari placuit Idumeos. scriptaque brevi epistola quod circumvento populo Ananus vellet Romanis metropolim prodere. ipsi autem pro libertate dissidentes in templo custodirentur. minimaque temporis saluti sibi promitteret, ac nisi mature subvenirent, ipsos quidem Anano atque inimicis, at vero civitatem Romanis ilico subiungendam. et pleraque nuntiis ad rectores Idumeorum referenda mandabat. Ad hoc et electi sunt viri strenui et dicendi peritissimi et ad persuadendum satis idonei. quodque his rebus esset utilius, pedum velocitate praestantes. Nam Idumeos confestim parituros certum erat, quod terrarum cupiens et incondita esset natio, semperque ad motus faciles atque suspensa et rerum mutationibus laeta, minimisque petentium blanditiis ad arma promptissima, et velut ad festorum quendam sollempnitatem sic ad proelia properans. Celeritatem autem nuntii exigebat, ad quam istis nihil deerat alacritatis. Utrique autem Ananias vocabantur. Iamque rectores aderant Idumeorum. Illi autem simul epistola mandatisque attoniti quasi furibundi circumcursare gentem ac militiam denuntiare coeperunt. Itaque mox et dicto citius multitudo convenerat. omnisque pro libertate metropoleos arma rapiebat. Congregati autem prope ad .XX. milia cum ducibus quattuor Ierosolimam venerunt. hoc est Iohanne et Iacobo Sesse filio, et praeterea Symon Ethei et Phanea Accessoth filii. Ananum autem profectio legatorum itemque et vigiles eius non latuit. nec non et impetus Idumeorum.